

nostræ. Ergo nec electionis nostræ possunt esse causæ.

3. Item. Quæcumque ex impressione corporum cælestium in istis inferioribus eveniunt, naturaliter contingunt, quum hæc inferiora sint naturaliter sub illis ordinata. Si ergo electiones nostræ eveniunt ex impressione corporum cælestium, oportet quod naturaliter eveniant, ut scilicet sic homo naturaliter eligat operari suas operationes, sicut naturali instinctu bruta operantur, & naturaliter corpora inanimata moventur. Non ergo erunt propositum, & natura duo principia agentia, sed unum tantum, quod est natura: cujus contrarium patet per Aristotelem in II. *Physic. text. comm. xlii.* Non est ergo verum quod ex impressione corporum cælestium nostræ electiones proveniant.

4. Præterea. Ea quæ naturaliter fiunt, determinatis mediis perducuntur ad finem: unde semper, & eodem modo contingunt: natura enim determinata est ad unum. Electiones autem humanæ diversis mediis tendunt ad finem tam in moralibus, quam in artificialibus. Non igitur electiones humanæ fiunt naturaliter.

5. Amplius. Ea quæ naturaliter fiunt, ut plurimum recte fiunt, natura enim non deficit nisi in paucioribus. Si igitur homo naturaliter eligeret, ut in plurimum electiones ejus essent rectæ: quod patet esse falsum. Non igitur homo naturaliter eligit: quod oporteret, si ex impulsu corporum cælestium eligeret.

6. Item. Ea quæ sunt ejusdem speciei, non diversificantur in operationibus naturalibus, quæ naturam speciei consequuntur: unde omnis hirundo similiter facit nidum, & omnis homo similiter intelligit prima principia quæ sunt naturaliter nota. Electio autem est operatio consequens speciem humanam. Si igitur homo naturaliter eligeret, oporteret quod omnes homines eodem modo eligerent: quod patet esse falsum tam in moralibus, quam in artificialibus.

7. Adhuc. Virtutes, & vitia sunt electionum principia propria: nam virtuosus, & vitiosus differunt ex hoc quod contraria eligunt. Virtutes autem politicæ, & vitia non sunt nobis à natura, sed ex assuetudine, ut probat Philosophus in II. *Ethic. cap. 1.* ex hoc quod *quales operationes assuescimus & maxime à puero, ad tales habitum habemus.* Ergo electiones nostræ non sunt nobis à natura. Non ergo causantur ex impressione corporum cælestium secundum quam res naturaliter procedunt.

8. Adhuc. Corpora cælestia non imprimunt directe nisi in corpora, ut cap. *Lxxxv.* ostensum est. Si igitur sint causa electionum nostrarum, aut hoc erit in quantum imprimunt in corpora nostra, aut in quantum imprimunt in exteriora. Neutro autem modo sufficienter possunt esse causa electionis nostræ: non enim est sufficiens causa nostræ electionis quod aliqua corporalia nobis exterius præsententur: patet enim quod ad occursum alicujus delectabilis, puta cibi, vel mulieris, temperatus non movetur ad eligendum ipsum, immoderatus autem movetur. Similiter etiam non sufficit ad nostram electionem quæcumque immutatio posset esse in nostro corpore ab impressione corporis cælestis, quum per hoc non sequantur in nobis nisi quedam passiones, vel magis vel minus vehementes. Passiones autem, quantumcumque vehementes, non sunt causa sufficiens electionis: quia per easdem passiones incontinens inducitur ad eas consequendum per electionem, continens autem non inducitur. Non potest igitur dici, quod

corporalia cælestia sint causæ nostrarum electionum.

9. Amplius. Nulla virtus datur alicui rei frustra. Homo autem habet virtutem judicandi, & consiliandi de omnibus quæ per ipsum operabilia sunt, sive in usu exteriorum rerum, sive in admittendo, & repellendo intrinsecas passiones: quod quidem frustra esset, si electio nostræ causaretur à corporibus cælestibus, non existens in nostra potestate. Non est igitur possibile quod corpora cælestia sint causæ nostræ electionis.

10. Præterea. Homo naturaliter est animal politicum, vel sociale: quod quidem ex hoc apparet quod unus homo non sufficit sibi, si solus vivat, propterea quod natura in paucis homini providit sufficienter, dans ei rationem, per quam possit sibi necessaria ad vitam præparare, sicut cibum, indumenta, & alia hujusmodi, ad quæ omnia operanda non sufficit unus homo: unde naturaliter inditum est homini ut in societate vivat. Sed ordo providentiæ non auferat alicui rei quod est sibi naturale, sed magis unicuique providetur secundum suam naturam, ut ex dictis patet. Non igitur per ordinem providentiæ sic est homo ordinatus ut vita socialis tollatur. Tolleretur autem, si electiones nostræ ex impressionibus corporum cælestium provenirent, sicut naturalis instinctus aliorum animalium. Frustra etiam darentur leges, & præcepta vivendi, si homo electionum suarum dominus non esset. Frustra etiam adhiberentur præmia, & pænæ bonis, & malis, ex quo non est in nobis hæc vel illa eligere. His autem desinentibus, statim socialis vita corrumpitur. Non ergo homo est sic secundum ordinem divinæ providentiæ institutus, ut electiones ejus ex motibus cælestium corporum proveniant.

11. Adhuc. Electiones hominum ad bona, & mala se habent. Si igitur electiones nostræ ex motibus stellarum provenirent, sequeretur quod stellæ per se essent causa malorum electionum. Quod autem est malum, non habet causam in natura: nam malum incidit ex defectu alicujus causæ, & non habet causam per se ut supra cap. *xlv.* ostensum est. Non est igitur possibile quod electiones nostræ directe & per se à corporibus cælestibus proveniant sicut ex causis.

Potest autem aliquis huic rationi obviare, dicendo, quod omnis mala electio ex alicujus boni appetitu provenit, ut supra cap. *lii.* & *lv.* ostensum est, sicut electio adulteri provenit ex appetitu boni delectabilis quod est in venereis: ad quod quidem bonum universale aliqua stella movet, & hoc necessarium est ad generationem animalium perficiendam: nec debuit hoc commune bonum prætermitti propter malum particulare hujusmodi quod ex hoc instinctu elegit.

Hæc autem responsio sufficiens non est, si ponantur corpora cælestia per se causa electionum nostrarum, utpote per se imprimantur in intellectum, & voluntatem. Nam impressio universalis causæ recipitur in unoquoque secundum modum suum. Effectus ergo stellæ moventis ad delectationem quæ est in conjunctione ordinata ad generationem, recipitur in quolibet secundum modum sibi proprium, sicut videmus quod diversa animalia habent diversa tempora, & diversos modos commixtionis secundum congruentiam suæ naturæ, ut Aristoteles dicit in *Libro de historiis animalium Lib. V. cap. vi.* Recipient ergo intellectus, & voluntas impressionem illius stellæ secundum modum suum. Cum autem aliquod appetit secundum modum intellectus, & rationis, non accidit peccatum in electione, quæ quidem semper ex hoc mala est quod

non

non est secundum rationem rectam. Non igitur si corpora cælestia essent causa electionum nostrarum, esset unquam in nobis electio mala.

12. Amplius. Nulla virtus activa se extendit ad ea quæ sunt supra speciem, & naturam agentis, quia omne agens agit per suam formam. Sed ipsum velle transcendit omnem speciem corporalem, sicut & ipsum intelligere: sicut enim intelligimus universalialia, ita & voluntas nostra in aliquo universale fertur, puta odimus omne latronum genus, ut Philosophus dicit in sua *Rethorica. Lib. II. cap. iv.* Nostrum igitur velle non causatur à corpore cælesti.

13. Præterea. Quæ sunt ad finem, proportionantur fini. Electiones autem humanæ ordinantur ad felicitatem sicut ad ultimum finem: quæ quidem non consistit in aliquibus corporalibus bonis, sed in hoc quod anima conjungatur per intellectum rebus divinis, ut supra cap. *xxv.* & *xxxvi.* & seqq. ostensum est iam secundum sententiam fidei, quam secundum Philosophorum opiniones. Corpora igitur cælestia non possunt esse causa electionum nostrarum. Hinc est quod dicitur *Hier. x. 2. A signis celi nolite metuere, quæ timeant gentes, quia leges populorum vanae sunt.*

Per hoc autem excluditur positio Stoicorum, qui ponebant omnes actus nostros, & etiam electiones nostras secundum corpora cælestia disponi: quæ etiam dicitur fuisse positio antiqua Phariseorum apud Judæos. Priscillianistæ hujusmodi erroris etiam rei fuerunt, ut dicitur in *Libro de hæresibus Augustino auctore num. lxx.* Hæc etiam fuit opinio antiquorum Naturalium, qui ponebant, sensum, & intellectum non differre: unde Empedocles dixit, quod voluntas augetur in hominibus, sicut in aliis animalibus, ad præsens, idest secundum præsens momentum, ex motu cæli causante tempus, ut Aristoteles introducit in *Lib. de Anima II. text. comm. c.*

Sciendum tamen est, quod licet corpora cælestia non sint directe causa electionum nostrarum, quasi directe in voluntates nostras imprimantur, indirecte tamen ex his aliqua occasio nostris electionibus præstatur, secundum quod habent impressionem super corpora, & hoc dupliciter. Uno quidem modo secundum quod impressiones corporum cælestium in exteriora corpora sunt nobis causa alicujus electionis, sicut cum per corpora cælestia disponitur aer ad frigus intensum, eligimus caleferi ad ignem, vel aliqua hujusmodi facere quæ congruunt temporis. Alio modo secundum quod imprimuntur in corpora nostra, ad quorum immutationem insurgunt nobis aliqui motus passionum, vel per eorum impressionem efficiuntur habiles ad aliquas passiones, sicut cholericis sunt proni ad iram, vel secundum quod ex eorum impressione causatur in nobis aliqua dispositio corporalis, quæ est occasio alicujus electionis, sicut cum nobis infirmitatibus eligimus accipere medicinam. Interdum etiam ex corporibus cælestibus actus humani causantur, in quantum ex indispositione corporis aliqui amentes efficiuntur, usu rationis privati, in quibus proprie electio non est, sed moventur aliquo naturali instinctu, sicut & bruta. Manifestum est autem, & experimento cognitum, quod tales occasiones, sive sint exteriores, sive interiores, non sunt causa necessaria electionis, cum homo per rationem possit eis resistere, vel obedire: sed plures sunt qui impetus tales naturales sequuntur, pauciores autem, idest soli sapientes, qui occasiones male agendi, & naturales impetus non sequuntur. Et propter hoc dicit Ptolomæus in *Ceniloquio*; quod

*animal sapiens adjuvat opus stellarum; & quod non poterit Astrologus dare judicia secundum stellas, nisi vim animæ, seu complexionem bene cognoverit; & quod Astrologus non debet dicere rem specialiter, sed universaliter; quia scilicet impressio stellarum in pluribus sortitur effectum, qui non resistunt inclinationi quæ est ex corpore, non autem semper in hoc vel illo, qui forte per rationem naturali inclinationi resistit.*

CAPUT LXXXVI.

Quod corporales effectus in istis inferioribus non sequuntur ex necessitate à corporibus cælestibus.

NON solum autem corpora cælestia humanæ electioni necessitatem inferre non possunt, sed nec etiam corporales effectus in istis inferioribus ex necessitate ab eis procedunt.

1. Impressiones enim causarum naturalium recipiuntur in effectibus secundum recipientium modum. Hæc autem inferiora sunt fluxibilia, & non semper eodem modo se habentia propter materiam, quæ est in potentia ad plures formas, & propter contrarietatem formarum, & virtutum. Non igitur impressiones corporum cælestium recipiuntur in istis inferioribus per modum necessitatis.

2. Item. A causa remota non sequitur effectus de necessitate, nisi etiam sit causa mediæ necessitatis, sicut & in syllogismis ex majori de necessitate, & minori de contingenti, non sequitur conclusio de necessitate. Corpora autem cælestia sunt causæ remotæ, proximæ autem causæ inferiorum effectuum sunt virtutes activæ, & passivæ in istis inferioribus, quæ non sunt causæ necessariae, sed contingentes, possunt enim deficere ut in paucioribus. Non ergo ex corporibus cælestibus sequuntur in istis inferioribus corporibus effectus de necessitate.

3. Præterea. Motus cælestium corporum semper est eodem modo. Si igitur effectus cælestium corporum in istis inferioribus corporibus ex necessitate provenirent, semper eodem modo se haberent quæ inferioribus sunt. Non autem semper eodem modo se habent, sed ut in pluribus. Non igitur ex necessitate proveniunt.

4. Adhuc. Ex multis contingentibus non potest fieri unum necessarium: quia sicut quodlibet contingentium per se deficere potest ab effectu, ita & omnia simul. Constat autem quod singula quæ in istis inferioribus fiunt ex impressione cælestium corporum, sunt contingentia. Non igitur connexio eorum quæ in istis inferioribus contingunt, ex impressione cælestium corporum, sunt necessaria: manifestum est enim quod quodlibet eorum impediri potest.

5. Amplius. Corpora cælestia sunt agentia naturaliter, quæ requirunt materiam in quam agant. Non igitur ex actione corporum cælestium tollitur id quod materia requirit. Materia autem in quam agunt corpora cælestia, sunt corpora inferiora, quæ cum sint corruptibilia secundum suam naturam, sicut deficere possunt ab esse, ita ab operari, & sic eorum natura hoc habet ut non ex necessitate producant effectus. Non igitur ex necessitate proveniunt effectus cælestium corporum in corporibus inferioribus.

Si autem aliquis forte dicat, quod necessarium est quod effectus corporum cælestium compleantur, nec tamen per hoc tollitur possibilitas à rebus inferioribus: eo quod quilibet effectus est in potentia antequam

quam fiat, & tunc dicitur possibilis; quando autem iam est in actu, transit à possibilitate in necessitatem: & totum hoc subiacet celestibus motibus, & sic non tollitur quin aliquando effectus sit possibilis, licet necessarium sit effectum illum quandoque produci. Sic enim Albumasar in I. Lib. sui Introductorii defendere nititur possibile.

Non est autem possibile quod secundum hunc modum possibile defendatur. Possibile enim quoddam est quod ad necessarium sequitur: nam quod necesse est esse, possibile est esse: quod enim non possibile est esse, impossibile est esse: & quod impossibile est esse, necesse est non esse. Igitur quod necesse est esse, possibile est esse: quod enim non possibile est esse, impossibile est esse: & quod impossibile est esse, necesse est non esse. Hoc autem est impossibile. Ergo impossibile est quod aliquid necesse sit esse, & tamen non sit possibile illud esse: ergo possibile esse sequitur ad necesse esse. Hoc autem possibile non est necessarium defendere: quia non contra hoc effectus ex necessitate causari dicuntur; sed contra possibile quod opponitur necessario, prout dicitur possibile quod potest esse, & non esse. Non autem dicitur aliquid per hunc modum possibile, & contingens ex hoc solum quod quandoque sit in potentia, & quandoque in actu, ut prædicta responsio præsupponit: nam sic etiam in motibus celestibus est possibile, & contingens: non enim semper est conjunctio, vel oppositio Solis, aut Lunæ in actu, sed quandoque quidem in actu, quandoque autem in potentia; quæ tamen necessaria sunt, cum de his dentur demonstrationes. Sed possibile, vel contingens, quod opponitur necessario, hoc in sua ratione habet quod non sit necesse illud fieri quando non est, quod quidem est; quia non de necessitate sequitur ex causa sua; (1) sicut etiam dicimus, Sortem esse sessurum esse contingens, ipsum autem esse moriturum, esse necessarium, quia secundum horum ex causa sua de necessitate sequitur, non autem primum. Si ergo ex motibus celestibus de necessitate sequitur quod eorum effectus sint quandoque futuri, tollitur possibile, & contingens quod necessario opponitur.

Sciendum est autem, quod ad probandum effectus celestium corporum ex necessitate provenire, Avicenna in sua Metaphysica Lib. X. cap. 1. utitur tali ratione. Si enim effectus aliquis celestium corporum impeditur, oportet quod hoc sit per aliquam causam voluntariam, vel naturalem. Omnis autem causa voluntaria, vel naturalis reducitur ad aliquod celeste principium. Ergo impedimentum effectuum celestium corporum procedit ex aliquibus celestibus principibus. Impossibile est ergo quod si totus ordo celestium corporum simul accipiatur, quod effectus ejus unquam cesserit: unde concludit quod corpora celestia faciunt necessario esse debere effectus in istis inferioribus tam voluntarios, quam naturales. Hæc autem ratio, ut Aristoteles in II. Physic. text. comm. xl. & infra dicit, fuit quorundam antiquorum, qui negabant casum, & fortunam, per hoc quod cujuslibet effectus est aliqua causa determinata. Posita autem causa ponitur effectus de necessitate; & sic cum omnia de necessitate proveniant, non est aliquid fortuitum, neque casuale. Hanc autem rationem ipse Aristoteles solvit XIV. Metaphys. text. comm. vii. negando duas propositiones quibus hæc ratio utitur. Quarum una est quod posita causa quacumque, necesse sit ejus effectum poni. Hoc enim non oportet in omnibus causis: quia aliqua

(1) Al. sicut enim: forte sic enim.

causa licet sit per se & proprie causa sufficiens aliquis effectus, potest tamen impediri ex concursu alterius causæ, ut non sequatur effectus. Alia propositio est quam negat, quod non omne quod est quocumque modo, habet causam per se, sed solum ea quæ sunt per se; quæ autem sunt per accidens, non habent aliquam causam: sicut quod sit musicum, habet aliquam causam in homine; quod autem homo sit simul albus, & musicus, non habet aliquam causam. Quæcumque enim sunt simul propter aliquam causam, ordinem habent ad invicem ex illa causa; quæ autem sunt per accidens, non habent ordinem ad invicem. Non igitur sunt ex aliqua causa per se agente, sed solum per accidens hoc evenit: accidit enim docenti musicam, quod doceat hominem album, est enim præter ejus intentionem; sed intendit docere disciplinæ susceptibilem. Sic ergo proposito aliquo effectum dicemus, quod habuit aliquam causam ex qua non de necessitate sequeretur, quia poterat impediri ex aliqua alia causa concurrente per accidens: & licet illam causam concurrentem habeat reducere in aliquam causam altiorum, tamen ipsum concursum, qui impedit, non est reducere in aliquam causam; & sic non potest dici, quod impedimentum hujus effectus vel illius procedit ex aliquo celesti principio: unde non oportet dicere, quod effectus corporum celestium ex necessitate proveviant in istis inferioribus.

Hinc est quod Damascenus dicit in II. Libro orth. Fidei cap. vii. circa med. quod corpora celestia non sunt causa generationis alicujus eorum quæ sunt, neque corruptionis eorum quæ corrumpuntur, quia scilicet non ex necessitate ex eis effectus proveniunt. Aristoteles etiam dicit in II. de somno & vigilia, versus finem, quod eorum quæ in corporibus sunt, signorum etiam celestium, velut aquarum, & ventorum, multa non eveniunt. Si enim aliquis alius vehementior isto accidit motus, quod futurum est signum, non fit, sicut & multa consilia bene, quæ fieri expediebat, dissoluta sunt propter alias digniores inclinationes. Ptolemæus etiam in Quadrupartito dicit: Rursus nec estimare debemus quod superiora procedunt inevitabiliter, ut ea quæ divina dispositione contingunt, & quæ nullatenus sunt vitanda, nec non quæ veraciter, & ex necessitate proveniunt. In Censilloquio etiam dicit: Hæc indicia quæ tibi tradeo, sunt media inter necessarium, & possibile.

#### CAPUT LXXXVII.

Quod motus celestis corporum non sunt causa electionum nostrarum ex virtute animæ moventis.

I. Part. quest. cxv. art. 4.

EST tamen attendendum, quod Avicenna vult tractat. x. Methaphys. cap. i. quod motus celestium corporum sint nostrarum electionum causæ, non quidem per occasionem tantum, sicut supra dictum est cap. lxxxv. sed per se. Ponit enim corpora celestia esse animata: unde oportet cum motus celestis sit ab anima, & sit motus corporis, quod sicut in quantum est motus corporis, habet virtutem transmutandi corpora, ita in quantum est ab anima, habet virtutem imprimendi in animas nostras; & sic motus celestis sit causa electionum nostrarum, & voluntatum: ad quod etiam redire videtur positio Albumasar in

primo sui Introductorii. Hæc autem positio irrationalis est: sicut supra dicitur in libro lxxxviii.

primo sui Introductorii. Hæc autem positio irrationalis est: sicut supra dicitur in libro lxxxviii.

Omnis enim effectus qui est per instrumentum aliquod ab efficiente procedens, oportet esse proportionatum instrumento, sicut & agentis: non enim quolibet instrumento utimur ad quemlibet effectum: unde illud non potest fieri per aliquod instrumentum ad quod nullo modo se extendit actio instrumenti. Actio autem corporis nullo modo se extendit ad immutationem intellectus, & voluntatis, ut supra cap. lxxxiv. & lxxxv. ostensum est, nisi forte per accidens, in quantum ex his immutat corpus, sicut prædictum est. Impossibile est ergo quod anima celestis corporis, si sit animatum, in intellectum, & voluntatem imprimat mediante motu celestis corporis.

2. Amplius. Causa agens particularis in agendo, similitudinem gerit causæ agentis universalis, & est exemplum ejus. Si autem anima humana in aliam animam humanam aliquid per operationem corporalem imprimeret, sicut cum per significationem vocis suam intelligentiam parit, actio corporalis quæ est ab una anima, non pervenit ad aliam nisi mediante corpore: vox enim prolata immutat organum auditus, & sic a sensu percepta pervenit ejus signum usque ad intellectum. Si igitur anima celestis aliquid imprimat in animas nostras per motum in corpore, actio illa non pervenit usque ad animam nostram nisi per mutationem corporis nostri: quæ quidem non est causa nostrarum actionum, sed occasio tantum, sicut ex præmissis cap. lxxxv. in fine patet. Non igitur erit motus celestis causa nostrarum electionum nisi per occasionem tantum, & motus oportet esse, ut probatur in VII. Physic. text. comm. xv. oportet quod a primo moveatis proveniat motus usque ad ultimum quod moveatur, quodam ordine, ut scilicet movens per id quod est sibi proximum, moveat id quod est ab eo distans. Corpori autem celesti, quod moveri ponitur ab anima sibi conjuncta, propinquius est corpus nostrum quam anima, quæ non habet ordinem ad corpus celestis nisi mediante corpore: quod ex hoc patet, quia intellectus separatus nullum habet ordinem ad corpus celeste, nisi forte moventis ad motum. Immutatio igitur corporis celestis ab anima ejus procedens non pertingit ad animam nostram nisi mediante corpore. Ad motum autem corporis non movetur anima nisi per accidens nec immutationem corporis sequitur electio nisi per occasionem, ut dictum est (cap. lxxxv. Motus igitur celestis non potest esse causa electionum nostrarum per hoc quod est ab anima.

3. Item. Cum movens, & motum oportet simul esse, ut probatur in VII. Physic. text. comm. xv. oportet quod a primo moveatis proveniat motus usque ad ultimum quod moveatur, quodam ordine, ut scilicet movens per id quod est sibi proximum, moveat id quod est ab eo distans. Corpori autem celesti, quod moveri ponitur ab anima sibi conjuncta, propinquius est corpus nostrum quam anima, quæ non habet ordinem ad corpus celestis nisi mediante corpore: quod ex hoc patet, quia intellectus separatus nullum habet ordinem ad corpus celeste, nisi forte moventis ad motum. Immutatio igitur corporis celestis ab anima ejus procedens non pertingit ad animam nostram nisi mediante corpore. Ad motum autem corporis non movetur anima nisi per accidens nec immutationem corporis sequitur electio nisi per occasionem, ut dictum est (cap. lxxxv. Motus igitur celestis non potest esse causa electionum nostrarum per hoc quod est ab anima.)

4. Præterea. Secundum positionem Avicennæ, in compend. de anima cap. x. & quorundam Philosophorum aliorum Averrois, III. de Anima com. v. intellectus agens est quedam substantia separata, quæ quidem agit in animas nostras, in quantum facit intellecta in potentia esse intellecta in actu. Hoc autem fit per abstractionem ab omnibus materialibus dispositionibus, ut patet ex his quæ dicta sunt in secundo Libro cap. lxxvi. & lxxix. Quod igitur agit directe in animam, non agit in eam per motum corporeum, sed magis per abstractionem ab omni corpore. Anima igitur cœli, si sit animatum, non potest esse causa electionum nostrarum, vel intelligentiarum per motum cœli.

Per easdem etiam rationes potest probari, quod motus cœli non sit causa electionum nostrarum per virtutem substantiæ separata, si quis ponat cœlum non esse animatum, sed à substantia separata moveri.

CA P U T LXXXVIII.

Quod substantiæ separatae creatæ non possunt esse causa electio- nis, & voluntatum nostrarum.

I. Part. quest. cxv. art. 4. Et I. 2. quest. ix. art. 1. & II. quest. cxv. art. 9.

NON est autem æstimandum quod animæ cœlorum, si quæ sint, vel quæcumque aliæ substantiæ intellectuales separatae creatæ possint directè voluntatem nobis immittere, aut electionis nostræ causa esse.

1. Omnium enim creatorum actiones sub ordine divinæ providentiæ continentur, unde præter leges ipsius agere non possunt. Est autem providentiæ lex ut unumquodque immediate à proxima sibi causa moveatur. Causa igitur superior creata, tali ordine prætermisso, nec movere, nec agere potest. Proximum autem motivum voluntatis est bonum intellectum, quod est suum obiectum, & movetur ab ipso sicut visus à colore. Nulla igitur substantia creata potest movere voluntatem nisi mediante bono intellecto. Hoc autem est in quantum manifestat ei aliquid esse bonum ad agendum, quod est persuadere. Nulla igitur substantia creata potest agere in voluntatem, vel esse causa electionis nostræ nisi per modum suadentis.

2. Item. Ab illo agente aliquid natum est movere, & pati, per cuius formam reduci potest in actum: nam omne agens agit per formam suam. Voluntas autem reducit in actum per appetibile, quod motum desiderii ejus quietat in solo autem bono divino quietate desiderium voluntatis sicut in ultimo fine, ut ex prædictis patet. Solus igitur Deus potest movere voluntatem per modum agentis.

3. Adhuc. Sicut in re in animata se habet inclinatio naturalis ad proprium finem, quæ appetitus dicitur naturalis, ita se habet in substantia intellectuali voluntas, quæ dicitur appetitus intellectualis. Inclinationes autem naturales dare non est nisi illius qui naturam instituit, Ergo & voluntatem inclinare in aliquid non est nisi ejus, qui est naturæ intellectualis causa. Hoc autem solius Dei est, sicut ex superioribus Lib. II. cap. xxi. patet. Ipse igitur solus voluntatem nostram in aliquid inclinare potest.

4. Amplius. Violentum, ut dicitur in III. Ethic. cap. 1. est cujus principium est extra, nil conferente vim passo. Si igitur voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio, erit violentus motus. Dico autem moveri ab extrinseco principio quod moveatur per modum agentis, & non per modum finis. Violentum autem voluntario repugnat. Impossibile est igitur quod voluntas moveatur à principio extrinseco quasi ab agente; sed oportet quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat. Nulla autem substantia creata conjungitur animæ intellectuali quantum ad sua interiora nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius, & suscinens eam in esse. A solo igitur Deo potest motus voluntarius causari.

5. Adhuc. Violentum opponitur naturali, & voluntario motui, quia utrumque oportet quod sit à principio intrinseco. Agens autem exterius sic solum naturaliter movet, in quantum causat in mobili intrinsecum principium motus, sicut generans, quod dat formam gravitatis corpori gravi generato, movet ipsum naturaliter deorsum. Nihil autem aliud extrin-